Castrum in pignus accepit, quod postmodum Ravennas Ecclesia nunquam habuit, sed per dictos Marchiones detentum fuit usque ad tempus Nicolai Junioris Marchionis Estensis, cujus Gubernatores incaute perdiderunt, ut infra legetur in Historia Cosmatis archiepiscopi. Similem et aliam alienationem idem Archiepiscopus fecit de Castro Arioli in Sinibaldum militem de Ordelafis Foroliviensis civitatis Dominum, et de aliis Castris Ecclesiae Ravennatis multa barattarias fecit, quibus non dubium animam ipsius in districti Judicis examine fuisse punitam. Cumque mortuo Gregorio Papa XI. iste Pileus Presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis adversus Urbanum VI. Papam cum aliis Cardinalibus conspirasset, Urbanus septem ex ipsis capiens, ligatosque secum ducens, Januae nimio ferri, et lapidum pondere in stabulo quodam interemit, et alios archiepiscopos, et Praelatos conspirationis praedictae conscios trucidari, et diversis poe-